



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacrae Theologiae Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiae Ad Mentem Scoti Cursus Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. Quomodo sit actio reflexa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

ob quam possit magis intensa qualitas produci vel essent principium quo, seu ratio formae agendi, vel essent tantum conditio sine qua non: sed neutrum dici potest: ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia nulla forma accidentaliter particularis potest esse principium formale producendi oppositas omnino qualitates: sed si densitas esset principium formale quo producendi cum frigore frigus, deberet etiam esse principium formale producendi cum calore calorem, & etiam cum siccitate si citate, & cum humiditate humiditate, & consequenter esset principium formale productum non solum qualitatum oppositarum, sed etiam omnium primarum qualitatum, quod est absurdum. Et hac ratione colligitur communiter densitatem non esse qualitatem actuum. Simile autem argumentum potest fieri de magnitudine. Probatur eadem minor quoad secundam partem, quia nulla conditio potest esse ratio, ut forma actuum, praesertim uniuersi agentis, plus producat quam in se contineat formaliter: ergo densitas & magnitudo, si sint conditiones sine quibus non tantum, non possunt esse ratio ut calor ut duo producat calorem ut tria. Probatur antecedens, quia alias frigidum ut duo cum maiori applicatione posset producere frigus ut tria.

8. *Obiicit tertio:* si candela produceret in aula tantum lucis, quantum posset verbi gratia, duos gradus, & alia candela potens tot solum gradus producere, poneretur in aula, lumen illud intenderetur: ergo simile ageret in simile.

Respondetur: negando antecedens: in tali enim casu non intenderetur magis per candelam additamentum, quam per praexistentem: unde si praexistens non intenderet lumen nec altera etiam intenderet ipsum posset, de facto tamen altera candela intenderet lumen aulae, quia quaelibet candela nata est producere plus luminis in parte sibi viciniore, quam in partibus remotioribus, & consequenter cum quaelibet ex pluribus candelis habeat aliquis pars aut sibi viciniore quam altera, fit ut lumen totius aulae intendantur.

Obiicit quarto: olla bulliens habet superficiem calidiorrem fundo: ergo fundum, quod est minus calidum, intendit calorem superficiei ultra suum calorem.

Respondetur: negando consequentiam: nam ista intensio maior procedit aliunde quam a fundo, verbi gratia, ab igne vel ab exhalationibus aliquibus, quae in maiori abundantia reperiuntur, quam in fundo.

Et si queras: cur fundum lebetis pleni liquoris in initio calefactionis calidius multo sit quam liquor in ea contentus: in processu autem calefactionis minus calidus, & quam liquor, & quam ipsummet etiam ante fuerit.

Respondetur: quia ignis, dum calefacit lebetem, transmittit per poros eius exhalationes igneas, quae detinentur in ipso lebeate propter resistentiam liquoris nondum calefacti, & propterea non est mirum quod in initio calefactionis lebes sit valde calidus; at postquam calefit etiam liquor, quia non possunt detineri ulterius exhalationes, ascendant per ipsum liquorem, & peruenientes ad superiorem partem excitant ipsam, efficiuntque, ut bulliat liquor: & hinc oritur ut liquor sit calidior lebeate, & lebes minus calidus quam in initio.

QVÆSTIO II.

Quomodo fit actio reflexa.

9. **E**xperientia constat quod quando opponitur aliquod corpus impediens progressum actionis, calefacturae verbi gratia, aut illuminatiuae, sentitur maior calor aut lux in aere viciniore isti corpori, quam alias produceretur in illo: & quia illa actio per quam producit maior iste calor aut lux, egredi videtur & redire a corpore illo opposito, propterea vocatur actio reflexa, hoc est, quae reuertitur ad agens principale; ad differentiam actionis directae, quae ab illo agente progreditur semper. Hic ergo examinandum est quomodo hoc fiat.

Aliqui putant, obstaculum, hoc est corpus oppositum,

esse causam istius actionis reflexae, & quidem principale. Alij volunt esse tantum instrumentalem causam. Alij existimant ipsum obstaculum esse principium quod istius actionis, & qualitatem ab agente principali in ipso productam esse principium quo eius.

Alij vero tenent, principium quo esse potius species intentionales qualitatis illius, verbi gratia, lucis aut caloris.

CONCLUSIO I.

Reflexio non fit per species intentionales qualitatis, quae reflectitur. Hæc est contra *Marsilium hic q. 17. Paulum Venetum & alios.*

Reflexio non fit per species intentionales.

Probatur manifeste, quia species intentionales solum habent virtutem productiuam actuum vitalium aut aliarum specierum intentionalium: nec ex ulla experientia aut ratione constat, quod dentur ulla ratione nisi in ordine ad illas actiones vitales: ergo gratis dicitur quod possint producere calorem aut lucem.

Rursus illae species intentionales producuntur ab ipsa qua itate directe producta, verbi gratia, a calore aut luce: ergo non possunt esse perfectiores quam illa qualitas, & consequenter non possunt efficere qualitatem perfectionem quam qualitas, a qua producuntur: sed efficienter, si possent intenderet ipsam: ergo nequeunt eam intenderet.

Confirmatur, quia potest assignari alia causa, a qua oriatur reflexio: ego non debet recurri ad illas species intentionales: & per hoc destruitur fundamentum Aduersariorum, qui propterea ad species has confugerunt, quod aliam causam non reperiunt.

CONCLUSIO II.

10. *In reflexione tam lucis, quam caloris intenditur qualitas ab obstaculo usque ad determinatam sphaeram, & non solum extenditur.* Hæc etiam est communis: & prima pars est contra Computenses disp. 8. num. 19. qui putant apparere maiorem lucem, ubi fit reflexio, non ex eo quod intendatur, sed ex eo quod corpuscula aliqua opaca, quae non illuminabantur totaliter per qualitatem directe productam, illuminantur per qualitatem reflexe productam.

In reflexione actione intenditur qualitas.

Probatur primo, quia gratis fingunt semper quoties fit reflexio, dari talia corpuscula, quae non illuminantur quoad omnem partem per actionem rectam lucis: Et deinde non potest dici quod per calefactionem directam non calefiant etiam illa corpuscula, quoad omnem partem: ergo saltem reflexio caloris nequit soluari abique intentione eius: sed si in reflexione caloris intenditur calor directe productus, idem a pari dici debet de reflexione luminis, praesertim cum tam facile solui possit quomodo fiat in vno casu, atque in altero.

Confirmatur, quia quantum ad experientiam omnem, tam patet intendi lucem & calorem, quam ullam qualitatem inquam intenderet: ergo debet dici quod intendatur.

CONCLUSIO III.

11. *Causa directe producens qualitatem intendit ipsam actione reflexa a se ipsa immediate exiunt.* Hæc est doctrina in 4. d. 5. quaest. 9. quem praeter suos sequuntur *Auersa q. 39. Philosophia. Arriaga hic d. 3. nu. 143. contra Suarez disp. 10. met. sect. 9.*

Causa directe producat recte producat est quae intendit qualitatem in reflexione.

Probatur primo, quia quandoquidem impediatur per obstaculum ab actione directe pro tendenda, congruum erat ut posset eam reflectere in idem spatium: ergo dicendum est quod ita fiat.

Hæc probatio non placet, quia inde sequeretur, quod quoties agens impediretur ab actione protendenda, deberet eam reflectere; hoc autem est falsum, quia non a quocumque obstaculo fit reflexio, ut patet experientia.

Melius ergo probatur, tum quia nihil impedit quominus actio reflexa egrediatur a causa principali directe agentis: tum quia nulla alia causa aptior assignari potest, probatio cui illa actio tribuatur: ergo ab illa egreditur. Antecedens quoad primam partem probatur, quia nihil aliud assignari potest praeter obstaculum, aut secundum se, aut secundum qualitatem directe in ipso productam: sed neutrum dici potest.

670 PHYSICA. De Conditionibus ad agendum, &c.

potest: ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia obstaculum secundum se, verbi gratia speculum, aut paries, non habent virtutem producendi calorem aut lucem ut sex, cum non sit secundum se sic calidum, aut lucidum, imo posset esse frigidum & obscurum. Probatur etiam quoad secundam partem, quia non recipit maiorem lucem ab agente principali actione directa, quam si productum sit in medio, cum non sit melius approximatum quam ipsum medium, nec magis etiam semper capax maioris intensio- nis: ergo nequit per qualitatem directe productam intē- dere medium, quandoquidem, nec simile possit agere in simile, nec minus intensum intendere qualitatem magis intensam.

Dices, obstaculum, licet sit remotius ab agente princi- pali, quam medium, posse tamen recipere ab ipso inten- siorem qualitatem quam medium, quia esset subiectum aptius ad illam recipiendam: hoc autem supposito, reflexio posset oriri ab ipso met obstaculo cum illa qualitate intensiori in illo ab agente principali producta.

12 Respondeo, quidquid sit an aliquando obstaculum aliquid recipiat magis intensam qualitatem, quam me- dium, propter suam meliorem dispositionem; non tamen semper omne obstaculum esse melius dispositum ad inten- siorem formam: nec enim corpus aliquod durum & frigi- dum est aptum ad recipiendum intensiorem formam quam aer, & medius inter ipsum & agens principale: ergo non recipit intensiorem calorem quam aer; & consequenter quando sit ab ipso reflexio, non sit ab ipso met secundum qualitatem in ipso subiectatam, sed ab agente principali; quod si agens principale in vno casu reflectat, non est quod negetur semper reflectere, nisi ostendatur alicuius, cui potius debeat ascribi reflexio hoc autē vix assignari unquam potest, etiam dato quod in obstaculo produceretur intensior forma: quandoquidem in medio; nam tum etiam æque bene, imo forte melius recurreretur ad agens principale ac ad ipsum obstaculum.

Ioannes à Sancto Thoma hic quest. 5. 2. 2. ait quā itatem minus intensam actione directa productam in medio, oc- curren- te corpore, à quo fit reflexio, produceri in illo cor- pore magis intensam qualitatem, non quatenus est formaliter minus intensam, sed quatenus est virtualiter magis intensam: existimat enim qualitatem secundum se minus intensam posse, ut est virtus gentis alicuius, producere qualitatem magis intensam.

13 Sed contra, quia calor verbi gratia, ut tria, ut est virtus cuiuscumque agentis, non redditur secundum se perfectior, quam si non esset: neque enim recipit per hoc aliquid, quod alias non haberet: ergo si secundum se non posset producere calorem ut quatuor, nec poterit illum producere ut est virtus illius alterius.

Confirmatur hoc per ea, quæ diximus in Physica, pro- bando quod accidens in virtute substantiæ non possit pro- ducere substantiam.

Confirmatur secundo, quia sic sufficeret igni ad produ- cendum alium ignem, & expellendum frigus quantumvis magnum, producere calorem ut vnum, ille enim in vir- tute ignis sufficeret tam bene ad expellendum octo gra- dus frigoris, ac ad producendum calorem ut duo, ut pa- teret.

Confirmatur tertio, quia calor medij remissus non est vir- tus ignis magis quam calor intensior: ergo calor intensior nequit ab ipso, etiam ut est virtus ignis produci. Probatur consequentia, quia calor intensior ut est virtus ignis, est æque saltem perfectus ac calor minus intensus, & ut est intensior formaliter, est simpliciter perfectior, & conse- quenter nequit ab illo produci.

Obiicies primo: si agens principale produceret maiorem illam intensiorem in medio, deberet illam producere direc- te absque reflexione, quandoquidem medium sit capax eius, & sufficienter applicatum: sed hoc est falsum, ut patet experientia: ergo.

Respondeo negando sequelam: neque enim est capax illius maioris intentionis ab agente principali, nisi per re- flexionem, ut patet experientia; cuius ratio à priori non est alia nisi quod agens principale sit natura sua determi-

natum ad non producendum nisi tantum qualitatis actio- ne directa, & quod determinetur postea ad tantum ulterius producendum actione reflexa.

Obiicies secundo: si reflexio fieret ab agente primario, de- beret esse intensior in partibus vicinioribus ipsi quam in partibus vicinioribus obstaculo, sed hoc est contra expe- rientiam; ergo.

14 Respondeo negando minorem, quia reflexio incipit à parte remotiori, & taliter debet produci, quemadmo- dum si ipsum agens esset in illa parte, in qua reflexio incli- pit, quia productio reflexa fit in loco productionis directæ & eodem modo servata proportione, quo si non poneretur obstaculum, fieret productio directa ab obstaculo: Vnde cum plus produceretur in parte viciniori corpori, à quo fit reflexio, quam in parte remotiori, si actio fieret directa, sed productio esset ab agente primario; eodem modo quando impeditur actio directa debet per actionem reflexam plus poni in parte viciniori obstaculo, quam in remotiori.

Obiicies tertio: experientia constat ex varietate obstaculi variari reflexionem, & si obstaculum sit incapax quali- tatis reflectendæ, non fieri reflexionem vlla ratione: ergo signum est, quod reflexio oriatur ab obstaculo medi- ante qualitate illa.

Respondetur negando consequentiam, scilicet enim se- quitur quod actio reflexa debeat necessario incipere in ip- so obstaculo, & consequenter sicut si poneretur obstacu- lum in initio sphaere activitatis gentis, in quod non possit tunc vilo modo agere, aut non nisi remanere illud, inde fieret, quod per reliquam sphaeram, vel nullo modo ageret, ve non nisi remissis iuxta modum, quo se haberet in initio sphaere: eo- dem modo cum reflexio debeat incipere in obstaculo, agens non potest reflectere actionem suam, nisi possit agere in obstaculo, vel non potest reflectere eam nisi remanere, si non possit agere in obstaculo nisi remanere.

15 Obiicies quarto: quando qualitas producta in obsta- culo est activa, tum habet vim producendi aliquid re- flexe in medio; ergo tum obstaculum mediante illa quali- tate erit causa reflexionis.

Respondetur, concessio toto, nihil esse contra nos, qui damus causam essentialem, & per se reflexionis, non vero per accidens, qualis esset istud parziale obstaculum cum tali qualitate.

Deinde tale obstaculum ad summum erit tantum causa partialis reflexionis; quia cum agens parziale sit etiam potens reflectere actionem, & sit sufficienter etiam ad hoc applicatum, sine dubio reflectet illam, & consequen- ter reflexio fiet etiam ab illo; quamvis forte in casu obie- ctionis obstaculum cum qualitate illa activa concurreret cum ipso, & consequenter futura sit maior reflexio, quam si qualitas illa non esset activa, licet hoc etiam ab Aueria negetur.

QVÆSTIO III.

Vtrum ad agendum requiratur maior actiuitas agentis quam resistentia passi.

16 Notandum primo resistentiam esse impedimentum, quo agens ab alio retardatur in sua actione. Hu- iusmodi autem resistentia duplex esse potest, vna positua, ut est actio, qua passum reagendo in agens dimittit eius vires, ne tam fortiter agat, quam alias ageret, si passum non ita reageret, ut cum nix infrigidat manum calefaciē- tem ipsam, & hæc resistentia vocatur positua; quia fit me- diante actione positua. Alia resistentia est negatiua, seu priuatiua, seu formalis, & est incompatibilitas effectus procedentis ab agente cum aliqua forma, seu proprietate passi, in quod fit actio, ut est incompatibilitas frigoris cum calore; vocatur autem negatiua, seu priuatiua, quia fit sine actione, & sine productione alterius qualitatis in agens: vocatur etiam formalis, quia re vera est incōpossi- bilitas formalis istarum formarum, quarum vna à passio expellitur introducta altera. Quod autem hæc resistentia fiat sine actione, patet quia subiectum album mediante albedine resistit agenti producendi nigredinem, cum tamen albedo

Sententia
Ioannis à
S. Thoma

Relictur